



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Conventvs Apvd Andelavm, Qvando Inter Gvntramnv Et Childebertvm  
reges, episcoporum procerumque consilio pax firmata, mutuique foederis  
pactio conscripta est anno Christi DXXCVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

96 PELAGIVS CONVENTVS MAURICIVS IMPERATOR.  
P.II. CLOTARIUS II. REX FRANC.

stræ emendare conatur, statim seditio in populo, statim tumultus exoritur; & in tantum vnuſquisque contra seniorem ſæua intentione graffatur, vt vix ſe credat euadere, ſitandem ſilere nequuerit. Ad hæc rex ait: Si quis ſequitur iuſtitiam, viuat: ſi quis legem mandatumque noſtrum respuit, iam pereat, ne nos diutius hoc blaſphemium proſequatur.

C O N V E N T V S  
A P V D A N D E L A V M,

QVANDO INTER GVNTRAMNV ET CHILDEBERTVM  
reges, episcoporum procerumque confilio pax firmata,  
mutuique foederis pactio conscripta eſt anno Christi  
DXXXCVII.

De hoc Conuentu & foedere ſcribit Gregorius Turonensis libro 9. histor. cap. 11. Rex, inquit, Guntramnus, cum nepote ſuo ac reginis, id eſt cum Childeberto rege, & cum Brunichilde matre, ac Faileuba vxore Childeberti, pacem firmanuit, & conscriptis pactionibus regressus eſt vnuſquisque in ciuitatem ſuam. Pactionis vero exemplar profert idem cap. 20. quo loco illam Childeberti legatis a Guntramno prolatam ac relegi iuſſam narrat.

E X E M P L A R P A C T I O N I S.

CWM in Christi nomine præcellentissimi domini Guntheramnus & Childebertus reges, & glorioſiflma domina Brunichildis regina, Andelaum caritatis studio conueniſſent, vt omnia quæ vndecumque inter ipſos ſcandalum poterant generare, pleniori confilio definirent; id inter eos, mediantibus ſacerdotibus atque proceribus, Deo medio, caritatis studio ſedit, complacuit, atque conuenit, vt quamdiu eos Deus omnipotens in præſenti ſæculo ſuperelleſſe voluerit, fidem & caritatē puram & ſimpli- cem ſibi debeant conſeruare. Similiter quia dominus Guntheramnus, iuxta pactionem, quam cum bonæ memoriae domino Sigiberto inierat, integrum portionem, quæ eſt de regno Chariberti, illis fuerat conſecutus, ſibi diceret in integrum redhiberi; & pars domni Childeberti, ea quæ pater ſuus poſſederat, ad ſe yellet ex omnibus reuocare: id inter ipſos conſtat fixa deliberaſione finitum, vt in

ANNO CHRISTI  
587. in illam tertiam portionem de Parisiensi ciuitate cum terminis & populo suo , quæ ad domnum Sigibertum de regno Chariberti conscripta pactione peruererat , cum castellis Duno & Vindocino , & quidquid de pago Stampensi , vel Carnoteno , in peruo illo antefatus rex cum terminis & populo suo perceperat , in iure & dominatione domni Gunthcramni , cum eo quod superflite domno Sigiberto de regno Chariberti antea tenuit , debeant perpetualiter permanere : pari conditione ciuitates Meldonenes , & duas portions de Siluanectis , Turonos , Pietauos , Abrincatas , Vicum Iuliensem , cum Conforannis , Lapurdo , & Albige , dominus Childebertus rex cum terminis , a praesenti die suæ vindicet potestati . Ea igitur conditione seruata , vt quem Deus de ipsis regibus superstite esse præceperit , regnum illius , qui absque filiis de praesentis sæculi luce migraverit , ad se in integritatem iure perpetuo debeat reuocare , & posteris suis Domino auxiliâte relinquere . Illud specia- liter placuit per omnia inuiolabiliter conseruari , vt quidquid dominus Gunthcramnus rex filia suæ Clotildi contulit , aut adhuc Deo propitiante contulerit , in omnibus rebus atque corporibus , tam in ciuitatibus , quam agris vel redditibus , in iure & dominatione ipsius debeat permanere : & si quid de agris fiscalibus , vel speciebus atque præsidio , pro arbitrii sui voluntate facere , aut cuiquam conferre voluerit , in perpetuo auxiliante Domino conseruetur ; neque a quocumque vlo vnquam tempore conuellatur : & sub tuitione ac defensione domni Childeberti , cum his omnibus quæ ipsam transitus genitoris sui inuenerit possidentem , sub omni honore & dignitate secura debeat possidere . Pari conditione repromittit dominus Gunthcramnus rex , vt si , vt habet humana fragilitas , quod diuina pietas non permittat , nec ille videre desiderat , contigerit dominum Childebertum eo superstite de hac luce migrare , filios suos Theodobertum & Theodoricum regem , vel si adhuc alios ipsi Deus dare voluerit , vt pius pater sub sua tuitione & defensione recipiat : ita vt regnum patris eorum sub omni soliditate possideant , & genitricem domini Childeberti , domnam Brunichildem reginam , vel filiam eius Clodosuindam , germanam domni Childeberti regis , quamdiu intra regionem Francorum fuerit , vel

Concil. Tom. 13.

N

98 PELAGIVS CONVENTVS MAVRICIVS IMPERATOR.  
P. II. CLOTARIIVS II. REX FRANC.

eius reginam Faileubam, tamquam sororem bonam, & filias in sua tuitione & defensione, spiritali dilectione recipiat, & sub omni honore & dignitate cum omnibus rebus earum, cum ciuitatibus, agris, redditibus, vel cunctis titulis, & omni corpore facultatis, tam quod praesenti videntur tempore possidere, quam quod adhuc Christo praefule iuste potuerint augmentare, sub omni securitate & quiete possideant: vt si quid de agris fiscalibus, vel speciebus atque praesidio, pro arbitrii sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerint, fixa stabilitate in perpetuo conferuetur, nec a quibuscumque voluntas illarum vlo tempore conuellatur. De ciuitatibus vero, hoc est Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno, & Begorra, quas Gailesuindam germanam domnae Brunichildis tam in dote, quam in morganegiba, hoc est matutinali dono, in Franciam venientem certum est acquisisse; quas etiam per iudiciu gloriissimi domini Gunthcramni regis, vel Francorū, superstibus Chilperico & Sigiberto regibus, domna Brunichildis noscitur acquisisse; ita conuenit, vt Cadurcam ciuitatem, cum terminis & cuncto populo suo, domna Brunichildis de praesenti in sua proprietate percipiat: reliquas vero ciuitates ex hac cōditione superius nominatas, dominus Gunthcramnus dum aduiuit possideat; ita vt quandoque post eius transitū, in dominatione domnae Brunichildis, heredumque suorum cum omni soliditate Deo propitiante reuertantur; nec superstite domno Gunthcramno, neque a domna Brunichilde, neque a filio suo Childeberto rege, filiisque suis, quolibet ingenio vel tempore repetantur. Simili modo conuenit, vt Siluane cōtum dominus Childebertus in integritate teneat, & quantum tertia domni Gunthcramni exinde debita competit, de tertia domni Childeberti, quae est in Rossontensi, domni Gunthcramni partibus compensetur. Similiter conuenit, vt secundū pationes inter dominum Gunthcramnum, & bona memoriae domnū Sigibertū initas, leudes illi, qui domno Gunthcramno post transitum domni Clotarii sacramenta primitus præbuerunt, et si postea conuincuntur se in parte alia tradidisse, de locis, vbi cōmanere videntur, conuenit vt debeat remoueri. Similiter & qui post transitum domni Clotarii conuincuntur domno Sigiberto sacramenta

ANNO CHRISTI 587. primitus præbuuisse, & se in aliam partem transtulerūt, modo simili remoueantur. Similiter quidquid antefati reges ecclesiis aut fidelibus suis contulerint, aut adhuc conferre cum iustitia, Deo propitiante, voluerint, stabiliter conseruetur: & quidquid vnicuique fidelium in vtriusque regno per legem & iustitiam redhibetur, nullum ei præiudicium pariatur; sed liceat res debitas possidere atque recipere. Et si aliquid cuicumque per interregna sine culpa sublatum est, audientia habita restauretur. Et de eo quod per munificentiam præcedentium regum vnuſquisque usque ad transitum gloriosæ memorie domni Clotarii regis possedit, cum securitate possideat. Et quod exinde fidelibus personis ablatum est, de præsenti recipiat. Et quia inter prefatos reges pura & simplex est in Dei nomine concordia illigata, conuenit ut in vtroque regno vtriusque fidelibus, tam pro causis publicis, quam priuatis, quicunque voluerit ambulare, peruum nullis temporibus denegetur. Similiter conuenit, ut nullus alterius leudes nec solicitet, nec venientes excipiat. Quod si forsitan pro aliqua amissione partem alteram crediderit expetendam, iuxta æqualitatem culpæ excusati reddantur. Hoc etiam huic addi placuit pæctio, ut si qua pars præsentia statuta sub quacumque calliditate, tempore quocumque transcendenterit, omnia beneficia, tam repromissa, quam in præsenti collata amittat, & illi proficiat qui in uiolabiliter omnia superscripta seruauerit: & sit de sacramentorum obligatione in omnibus absoluta. His itaque omnibus definitis, iurant partes per Dei omnipotentis nomen, & inseparabilem trinitatem, vel diuina omnia, ac tremendum diem iudicii, se omnia quæ superius scripta sunt absque ullo dolo malo, vel fraudis ingenio, in uiolabiliter seruaturos. Facta pæctio sub die quarto Kalendas Decembris, anno vicesimo sexto regni domni Guntheramniregis, domni Childeberti vero duodecimo anno.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> Conuentus apud Andelaum. ] Vetus nomen retinet opidum in pago Lingonensi, cuius situm indicat Fredegarius: Anno, inquit, XVII. regni Theodorici Lingonas mense Maio exercitus adunatur: dirigensque per Andelaum, Nasio castro capto, Tullum ciuitatem peruenit.

Concil. Tom. 13.

Nij